

abonum
spec.

16

BIGA DISSERTATIONVM
DE
SERPENTE PRO-
TOPLASTORVM
SEDVCTORE

QVAM
SVPREMI NVMINIS AVSPICIO
PRAESIDE
M. IOANNE HENR. ZOPFIO
GYMNASII ASSINDIENSIS
DIRECTORE

PVBLICE DEFENDET

RESPONDENS
HENRICVS FLORENTIVS SYBELIVS
SVSATENSIS.

IN ACROATERIO MAIORI
AD DIEM SEPTEMB. c1010ccxxxiii.
HORIS ANTEMERIDIANIS. p.



DVISBVRGI ad RHENVM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.
Anno c1010ccxxxiii.

M V N O V I R I S
Illustribus, Magnificis, Praenobilissimis,
Consultissimis, Maxime Reuerendis,
Amplissimis,

DN. IOANNI MVLLERO, ICto famig. Reg.
Majest. Boruss. Consiliar. Aulico, eminentiss.
Reipublicae Susatensis vice iam tertia Consuli, eiusdem-
que Syndico, nec minus Gymnasii Scholarchae Specta-
tissimo.


DN. IOANNI THEODORO MVLLERO,
ICto & Reg. Majest. Boruss. Consiliario Auli-
co, Liberacque Ciuit. Assind. Praesidi Antist. maxime
Spectabili.

DN. M. FRANCISCO THOMAE MVLLERO,
Eccles. Susat. Thomanae Pastori Vigilantissimo,
Reuerendi Ministerii vr bani & suburbani Inspectori, vt
& Gymnasiarcae Grauiissimo:

DN. M. IOANNI NICOLAO SYBELIO,
Ecclesiae Susat. Georgianae Pastori meritissimo
& Gymnasiarcae Spectatissimo:

DN. IOANNI FLORENTIO SYBELIO,
Mercatori in Libera Ciuitate Assind. antea Ma-
gnifici Magistratus membro dignissimo, nunc Praesidi
Antist. Seniori Spectatissimo,

Hoc, quicquid est,
Sacrum esse vult
Respondens.



RESPONDENTI EXIMIO
HENRICO FLORENTIO
S Y B E L I O
S V S A T E N S I

S. D.

P R A E S E S

M. IOANNES HENR. ZOPFIUS.




Ominibus non vnis, quoad in castris militasti nostris, PRAESTANTISSIME IUVENIS, mihi carus fuisti atque commendatus in primis. Quorum inirenum numerum, si vel TVA id pateretur modestia, vel mea consuetudo. Gratulantis officio fungar potius, quod vna cum semestri hoc lapsu, integrum apud nos biennium ita locasti, ut fere solent, qui in Scholis atque Gymnasiis hoc sibi cauendum putant, ne cruda atque immatura in Academijs studia propellant, vastumque illum scientiarum oceanum ingressi, sine lintre, quod aiunt, & remis nauigare cogantur. Compluribus hoc, nec spernendis industriae speciminibus publice pariter ac priuatim editis, comprobatum dedisti: idemque &

* 2

nunc

nunc demonstras in abitu TVO, doctum cum doctis viris, de argumento nobili, certamen subeundo. Age ergo! ad Academias, ampliora isthaec scientiarum emporia, quando iam contendis, in id summopere tibi enitendum statue, vt, quem semel ingressus es, optimorum studiorum tramitem, deinceps quoque premas. Mihi crede, nihil praestantius, nihil admirabilius, quam verae laudis in adolescente perpetuitas. Primum enim lubrica ipsa aetas est: deinde tenduntur saepe bonis, quibus capiuntur, insidiae: & multa sunt ad deprauandum parata improborum consilia, aequalium exempla, voluptatum illecebrae. Hae sunt fyrtes illae, quibus incerto nauigantes cursu absorbentur: Haec sunt illa perdendorum hominum auida monstra, virginum facie simulata, praedulcique cantu blandientia. Hic ego TE hortarer, CARISSIME SYBELI, hos scopulos, haec vitae Academicae pericula vt euitares, Teque acriter ad verae virtutis & sapientiae studium incitares. Verum, quando TE sacris addixisti, atque illud vitae genus amplexus es, quod in praecclaris cogitationibus occupatur totum, non TE libera voluntas, vt alios, ad honestum rectumque ducit: sed quo TE primum die Theologiae studio consecrasti, eodem die legem TIBI imposuisti perpetuae continentiae, velle TE in omni vita ad supremi Numinis gloriam spectare professus es. Quare non TIBI monitores, quorum TE moueat oratio, expectandi: ipse TE excita, ipse acue & impelle. Ceterum DEVS immortalis sanctissimi Numinis sui afflatu mentem totamque vitam TVAM regat, ac coepta TVA quaeuis ita fortunet ac prouehat, vt exquisitissimo doctrinae solidioris instrumento confirmatus, patriae aliquando utilis, clarissimaeque familiae ornamento esse possis. Vale. Scrib. Assindiae d. xii. Sept. clo lxxx xxxii.

IOAN-



IOANNES FLORENS
S Y B E L,

in Affindiensi Republ.

PRAESES ANTISTITVM SENIOR

Iuueni Eximio

HENR. FLORENTIO SYBELIO

Suo ex Fratре nepoti Suauissimo

S. P. D.



Effluxit quarta pars vnius Saeculi, & aliquot insuper anni, ex quo inuito licet parente, qui me studiis deuouerat, ipsum quoque diem, consequendi aliquando, vna cum Fratре natu medio, M. IO. NIC. SYBELIO, nunc Ecclesiae Susat. Georgianae Pastore, honoris Magisterialis, praestituerat, relictis Scholarum subscelliis, ad mercaturam animum adplicare, mihi

* 3

com-

complacuit. Expleueram tunc temporis annum XV. cum
 Archi-Gymnasio Susatensi vltimum VALE dicturus, eos in
 litteris profectus, Deo largiente consecutus fuiffem, vt, post-
 eaquam anno aetatis XIII. tertiae Classis alumnus factus fue-
 ram, ab ore Cl. Virorum DN. M. HARHOFII & DN. M.
 MARCI, per biennium pendere licuerit. Permultum ta-
 men mihi profuit, quod iam ante a PATRE TVO, Fratre
 mihi carissimo, M. GEORGIO ANDR. SYBELIO, nunc
 Archi-Gymnafii patrii Conrectore, cui omnia fere elegan-
 tioris Doctrinae praefidia me debere fateor, ita in funda-
 mentis linguae Latinae, Graecae & Gallicae instructus fui,
 vt, quod supererat molestiarum, facili negotio superare po-
 tuerim. Hac fideli admodum institutione factum est, vt
 maturius licet derelictis Musarum castris, lectioni variorum
 Latinitatis auctorum constanter inhaerens, in hunc vsque
 diem, sicuti ipse vidisti, & quae latine lego, & ICTorum
 terminos, cum multis DDnis meis Collegis, satis intelligere
 queam, non obstante, quod nos, vt ab eruditis Doctõribus
 discernamur, in Curia nostra *ναρ' ἕξοχλν* die Deutschen/ no-
 minare solent. Adeo pertinaciter infixam manere memoriae
 solent, quae adolescens ipsi mandauerit. Abiens vero ex
 dulcissima patriae sede, *Affundiam* iter direxi, quam *alteram*
mibi Patriam, duce DEO & comite PARENTE TVO,
 anno cIoIoccviii. ipso Passionis Dominicae die, bonis, vt
 aiunt, aibus, salutare contigit. Loci mira amoenitas, sa-
 lubris aeris temperies, suauissima cum honestioribus, pere-
 grinis

grinis etiam bene volentibus, consuetudq, Regiminis & Ci-
uilib & Ecclesiastici optima conditio, florentissimus ob vici-
nam Hollandiam commerciorum status, & quaecunque ad
sedem figendam pellicere poterant, ita me continuo cepe-
runt, vt nunquam abire constituerim. Factum deinde est,
vt posteaquam per aliquot annos hic commoratus essem, ma-
trimonium inire cum filia natu minima Consulib olim Nobi-
liss. atque Consultiss. DN. THEOD. MATTH. BECK-
MANNI. Postea ciuium albo inscriptum, mature satis ca-
rissima ciuitas reipubl. consiliis adhibuit: cui oneri ferendo
omni virium conamine satisfacere vt studui semper; ita &
studere in posterum non desistam.

Eadem vero quae mihi; TIBI quoque, Suauissime Con-
sanguineae, temporis & aetatis ratio fuit, quum anno
c1o10ccxxx1. Susato Assindiam ad nos contenderes, annum
agens XV. verno tempore, ipso Passionis Dominicae die,
alio tamen fine. Cum enim ego ad abolenda prorsus littera-
rum studia accesserim: TV ad continuandas summo fernore
bonas litteras huc delatus es, nec votis TVIS successus de-
fuit. Incidisti enim in felicissima Gymnasii nostri tempora,
quod, dirigente VIRO PLVR. REV. DN. M. ZOPFIO,
in laetissimam vsque excreuit faciem, vt e remotioribus quo-
que locis studiosa pubes, augefcente in dies numero, conflu-
xerit. Audiuisti hic, penitusque imbibisti, non solum quae
ad humanitatis studia pertinent; Linguas nempe, Latinam,
Graecam, Hebraicam, nec non Poesin, Oratoriam, Geo-
graphiam

graphiam atque Historiam: verum etiam Philosophiae atque
 Theologiae thesauris ita pectus imbuiſti, vt ad Academi-
 as, ne quid aliis derogem, non rudis; ſed prae aliis inſtructus
 abeas. Cuius equidem diligentiae praeclarum ſpecimen hac
 ipſa diſſertatione exſtare voluiſti. Gratulor itaque ſummis
 TIBI plauſibus, de rite peractis in Gymnaſio noſtro Aſſin-
 dienſi laboribus: praefertim cum dubium non ſit, quin & in
 poſterum eo allaboraturus ſis, vt prodeuntibus hinc, velut
 ex equo Troiano, & ex Academiis redeuntibus Iuris Medi-
 cinaeque Doctõribus, Eccleſiae Paſtoribus, Scholarum ma-
 giſtris, TV quoque talis aliquando ex voto meo euadas, qua-
 lem TE non ſolum fore huc vsque ſperauimus; verum etiam,
 qualem Patris adhuc viuentis, Aui, Pro-Auorum pie defun-
 ctõrum doctiſſima nomina, ſuo certe iure expoſtulant, immo
 qualem vniuerſa, quae Suſari floret, MVLLERIANA &
 SYBELIANA proſapia, faxit Deus, non irrito conatu! ſibi
 exoptat. Age itaque, &, qua coepiſti via, iuuante Deo
 ſtrenue feliciterque progredere, vt filios quoque meos, quos
 DEVS largitus eſt, a me ſtudiis omnino dicatos, in pri-
 mis vero DAVIDEM meum, aliquantulo abhinc tempore
 in Academiis Tecum victurum, exemplo probo pariter atque
 docto excites, vt & meae & Patriae exſpectationi ſatisfa-
 ciant vberime. Vale, Diuinae commendatus clementiae.
 Iterum Vale. Scrib. Aſſindiae Die xx. Sept. 1610ccxxxiii.

DIS-




DISSERTATIO I.
DE
SERPENTE PRO-
TOPLASTORVM
SEDVCTORE.

POSITIO I.

Historia lapsus, a MOSE Gen. III. descripta, proprie, non symbolice aut allegorice est intelligenda.

§. I.

 **U**i Historiam lapsus *allegorice* interpretari conantur, in diuersas abeunt opiniones. Nonnulli PHILO-
NEM Iudæum secuti, per Serpentem designari
putant quasuis voluptates nos inescantes, quae initio
mulierem, h. e. appetitum sensitium titillauerint,
& simul *maritum*, h. e. rationem ipsam, per sensu-
um illecebras, a vero tramite abduxerint. Ita ni-
mirum PHILO ipse in Libro *περί κοσμοποιίας*, seu de *Mundi opifi-*
cio, f. 46. Edit. Francof. ubi disertè ait: "Οφι είναι ηδονής σύμβολον,
Serpentem esse voluptatis Symbolum, rectè coniici posse. Idem cum
Philone sentit MAIMONIDES in *Mora Neuch.* P. II. c. XXX.

A

p. 281.

p. 281. Quae sententia, quam absona sit, vel inde patet, quod homini adhuc integro motus animi inordinatos tribuit, quibus, tanquam internis suis illusionibus, tentari ac decipi potuerit. Vnde autem habuisset homo integer illam affectuum *αταξίαν*? Num a creatore optimo? Hoc nefas dicere. Ergo ab alio quodam extrinsece operante tentatore res facta sit oportet. Vt taceamus, serpenti varias non modo actiones, loquelam & ratiocinationem; verum etiam poenas tribui, quae omnia sunt suppositorum, immo personae alicuius intelligentis. Voluptates enim nec loqui possunt, nec poenam luere, vt repere super ventre, aut puluerem comedere possint.

§. II. Idem censendum de sententia BALTH. BECKERI in *Mundo Fascinato* L. II. c. XX. Qui, ne ex historia lapsus hominum euinci queat, Diabolum aliquid operari posse, omnem mouet lapidem, vt ostendat, non proprie, quae hac de re Moses commemorat; sed *συβολικῶς* esse intelligenda, vt nihil aliud significetur, quam hominem ad exemplum Diaboli peccasse, prauis suis obediendo cupiditatibus: qua in causa ZACH. GRABIO, *Dist. de Tentatione Euae & Christi*, Sect. IV. ex instituto vapulat.

§. III. Eandem interpretandi rationem amplexus est THOMAS BVRNETVS, Anglus in *Archaeologia Philosophica* L. II. C. VII. qui, cum Mosis narrationem, de rerum omnium primordiis, simulque adeo de lapsu hominum, suis commentis, de noua Theoria telluris, obstare videret, totam Mosis historiam de creatione, de Hexaemero, de Adamo, Eua, Paradiso & de Serpente tentatore, non intelligendam esse in sensu litterali, historico & proprio contendit; sed describi omnia a Mose *λαοδογματικῶς*, seu modo parabolico & crasso, pro captu plebis & ingenio Iudaeorum. Qua de causa merito castigatus est ab auctore libri: *Moses vindicatus*, qui & speciatim. p. 148. probat, historiam tentationis neutiquam parabolice seu allegorice esse interpretandam. Vid. SPANHEMIVS in *Elencho Controuersiarum* Tom. III. Opp. P. II. p. 1007. sqq.

§. IV. His merito adiungimus eos, qui primum primorum hominum peccatum in *congressu libidinoso* collocant, quem allegorice descri-

descripserit Moses. Nota sunt CORNEL. AGRIPPÆ & IOH. BAPTIST. HELMONTII impia & obscœna deliramenta, quæ a sanioribus pridem damnata, ex orco quasi reuocauit HADRIAN. BEVERLANDVS, Selandus, I. V. L. in libro detestando ac spurco de *Peccato Originis nar^o &oyiv ita dicto*, propter quem a Magistratu illius loci ad carcerem & exsilium fuit condemnatus. Profligata hæc sunt a plurimis, quos laudatos inuenies apud ZACHAR. GRAPIVM, qui & ipse ea refellit, in *Theologia recens controuersa*. C. VI. Qu. 2. Quanquam ipse BEVERLANDVS, erroris conuictus, postea palinodiam cecinisse fertur, dirisque deuouisse eum, qui negligeret manuscripta sua vel Vulcano dare, vel auctori remittere.

§. V. Et isti quidem omnes, quos adhuc commemorauimus, & si qui sunt alii eiusdem commatis, nullam rationem praegnantem adferunt, quæ, vt litteralem hic descriamus sensum, nos cogat. Proprie, non allegorice hic locutum esse Mosē, vel inde constat, quia caeteroquin aliquid de re maximi momenti narraſſet, cuius sensum certum adsequi nemo posset. Quod si hæc explicandi ratio esset concessa, quicquid Scriptura Sacra habet expressissimum, facile posset negari: vt in eius locum phantasmata, & inania figmenta quæuis, in cerebro, tanquam alembico, excocta & expressa surrogarentur. Quo ipso amplissima ad libertinismum sterneretur via, & arenoso nostra salus superstrueretur fundamento. Proprie præterea hæc intellexit SALOMO Kohel. VII. 30. Auctor libri Sapientiae c. II. 24. CHRISTVS, Ioh. VIII. 44. PAVLVS 2 Cor. XI. 3. & 1 Timoth. II. 14. IOHANNES 1 Ep. III. 8.

POSITIO II.

Nec tamen eousque extendendus est sensus litteralis in explicanda lapsus historia, vt serpentem mere naturalem & solum fuisse statuamus, diabolo prorsus excluso.

§. I.

Non desunt inter Iudaeos pariter ac Christianos, qui serpentem istum naturalem, sermone affectibusque humanis praeditum, atque inde reliquis animantibus ac tantum non homini aequalem, primum fuisse fingunt, FL. IOSEPHO hoc placet, L. I. *Antiqu. Iudaic. c. 1.* immo Socinianis fere omnibus haec sententia vel hoc nomine arridet, quia, si Satanam lapsus causam esse dixerint, maior peccati originalis, quod tantopere alias eleuant, appareret foeditas. Hac igitur ratione de Christo Prot- Euangelium explicare, necesse non habebunt, quem verum Dei filium, diaboli & inferni victorem esse negant.

§. II. Verum enim vero non fuisse hic nudum serpentem duntaxat, sequentia euincere possunt argumenta. Nam 1.) hic serpens loquebatur, & eiusmodi quidem sermone articulado, qui ab homine intelligi poterat: cum certe loquendi facultas in animalia rationis vsu carentia non cadat, & verba ore expressa mentis internae sint cogitationes. 2.) Ratiocinatur hic serpens modo intelligibili & conueniente de rebus arduis, puta de Deo ac homine, de bono & malo, de vita & morte, de mandato diuino, Deique similitudine. Rogat, audit, intelligit, respondet, dubitationes iniicit. Visne maius quid? In omni opere id agit, vt ostendat, se erga hominis statum felicem inuidia duci & Deo plane inimicum esse. Quae cuncta & singula, de creatura mere irrationali, immo de animali integre primitus condito, dici nulla ratione possunt. Accedit 3.) non posse vlllo vnquam valido argumento adstrui, Deum naturali duntaxat serpenti denunciare poenam, ac talem quidem, quae ex parte nullatenus in eiusmodi animal quadrat. Quae, si nondum sufficiunt Socinianis argumenta, vnum adhuc meditentur. 4.) Quod Ioh. VIII. 44. diserte Satanus dicatur *Pater mendacii & homicida ab initio*. Ita vero Serpens paradisiacus homicida ab initio dicendus potius esset.

§. III. Paulo speciosior est illorum sententia, qui, cum serpentem & naturalem intelligant, cum tamen neutiquam loquendi aut ratiocinandi facultate praeditum agnoscunt, sed qui exemplo suo, ascendendo in arborem vetitam, & de fructibus eius

come-

comedendo, idque citra noxam, Eua, ut idem faceret, induxerit; id quod Moses, more gentium orientalium, quae animantibus brutis sermonem tribuere solent, descripserit. Atque huc redeunt, quae R. ISAAC ABARBANEL hac de re scribit, cuius verba ipsa citat IOH. FRISCHMUTHVS, *Dissert. de Seductione Serpentis antiqui*, quae extat in *Thesauro Theolog. Phil. T. I. p. 57*. Hunc secutus est e Christianis SIMEON de MVIS, Professor Sorbonnicus in *Variis Sacris* p. 187. Quod commentum quoque pictoribus Christianis, qui historiam lapsus ut plurimum ita repraesentant, videtur dedisse verba. Huc pertinet RABBI LVSITANI figmentum, qui tradit, alloquium hoc non fuisse verum, sc. voce articulata, certis verbis & syllabis expressum, sed metaphoricum fuisse motum serpentis, ex quo homo facile penetrare potuerit in sensum a serpente indigitatum, ut alias elephantes, simiae & canes, vario motu, situ & gestu, quid velint, hominibus explicent. OSIANDER *System.* p. 765.

§. IV. Veruntamen haec sententia, quantam vim textui inferat, vel obiter inspicienti satis obuium. Etenim quomodo serpens suo exemplo, & per solam imaginationem, Euae persuadere potuit, eam ex esu fructus vetiti, fore sicut *Elobim*? Aut cur Deus poenam inflixit serpenti nudo, qui lege de non comedendo ex arbore vetita, non tenebatur? Quae regerit de MVIS, ideo punitum serpentem, quod herbis & graminibus, sibi in cibum destinatis, non contentus, ascendisset in arborem, ut fructus inde decerneret, ludicrum magis est ac puerile, quam ut nostra egeat refutatione. Hoc addere iuuabit, fieri non posse, ut excludatur diabolus, in quem solum, dictante Scriptura, seductionis culpa conicitur.

POSITIO III.

Serpens, Protoplastorum tentator, non fuit solus & merus Cacodaemon, sub Serpentis tantum larua & spectro, suae nequitiae atque
παραγιάς mimum ludens.

§. I.

Non hic res nobis est cum iis, qui solum quidem & me-
rum Cacodaemonem serpentis nomine designari autu-
mant; sed ita tamen, vt sine vlllo medio externo, tan-
quam organo, sine assumpto corpore vel corporis specie,
sine externa & sensibili voce; sed tantum interna sug-
gestionem Euan tentasset: quae CAIETANI *Comment. in Genes.*
super b. l. & ex parte BECKERI fuit sententia supra comme-
morata.

§. II. Quin potius iis opposita est thesis nostra, qui serpentem
seductorem non naturalem fuisse, sed solum diabolum; sub serpen-
tis tamen forma, prorsus vti i Sam. XXVIII. *Sub Samuclis larua*,
illum latitasse contendunt. Quam sententiam tuentur EVGVBI-
NVS in *Cosmopoeia* f. 71. MOSES AMYRALDVS in *Dissert.*
Salmurii, a. 1660. editis. p. 314. sqq. CAMPEGIVS VITRIN-
GA in *Ἀνακρίσις Apocalypseos Iohannis* ad Cap. XII. 9. p. 726. &
qui ex instituto hanc materiam erudite admodum pertractavit, B.
SIGISMVNDVS HOSMANNVS, pastor Cellensis in *Notis ad*
Lighbfooti Observationes in Genesin; quem postea secutus est Dn.
M. ÖRTLOBIVS in *Schediasmate Bipartito*, an. 1708. Lipsiæ
edito, cuius altera pars agit de *Serpente non punito cum Satana*, Sect.
I. tot. Eandem sententiam defendit Celeberr. Iënenfium Philolo-
gus, Dn. IOH. REINH. RVSSIVS in egregia *Dissert. de Ser-*
pente seductore non naturali, sed solo Diabolo, A. 1712. edita, &
quarta iam vice recusa: nec non Cel. D. IOACHIMVS LAN-
GIVS, qui, cum antea sententiam communem defenderit in *Hist.*
Eccles. V. T. Period. I. Membr. V. p. 10. nunc, ea deserta, cum
iis facit, qui serpentem protoplastorum seductorem pro solo & me-
ro cacodaemonem, in angelum lucis transformato, & serpentis no-
mine tantum cum emphasi insignito, agnoscunt, tum in *Causis*
Dei & religionis Iudaeis reuelatae aduersus sic dictum naturalismum
P. I. Sect. III. Membr. III. p. 224. sqq. tum in *Commentario*, cui
titulus: *Mosaisches Licht und Recht* in Gen. III. 1---15. adde eiusd.
Oecon. Salutis, Loc. de Peccato.

§. III. Quamuis autem haec interpretandi ratio haud exiguam
prae

prae se ferat verosimilitudinis speciem, eoque plus commendationis habere videatur; quod vna & sola difficultatibus, quibus historia lapsus premitur, tollendis, adeoque & ori empaectarum obstruendo, censeatur adcommodatissima: Quia tamen in argumento mere historico a sensu proprio & litterali itidem deflectit ad improprium atque allegoricum, a nobis impetrare vix possumus, vt sententiae, alias satis speciosae, simpliciter subscribamus.

§. IV. Neque argumenta, quibus ea defendi solet, ita comparata existimamus, vt sensum proprium hic deserendi necessitatem inferant. Vrgent (1.) *Calliditatem*, qua serpens seductor quaeuis animantia agri superasse dicitur. Argumentatio haec est: Serpenti hic tribuitur calliditas non vulgaris; sed ea, quae ad seducendum hominem & ad persuadendum ei, se fore, sicut Elohim, erat sufficiens. Atque eiusmodi calliditas in serpentem naturalem non cadit, sed in solum diabolum. Ergo solus etiam diabolus nomine serpentis intelligendus est. Verum non satis prona est consequentia. Quamuis enim calliditas ea, de qua hic sermo est, non cadat in serpentem naturalem merum; cadit tamen in serpentem *επεργεμενον* & a diabolo obsessum. Quidni enim tanta calliditas aequae conueniret diabolo serpentem obsidenti, ac larua serpentina induto? Neque etiam comparationis modus euincit, serpentem ex ipsis animantibus terrae haud fuisse. Nulla enim sequela: Si animal fuisse hac ipsa locutione indicaretur, potius inter reptilia, a pecoribus terrae distincta, fuisset referendus. Nam a) notum est, vocem Hebr. *חיה* (quae animal notat, & vulgo vertitur *ζῷον viuens*) & Graec. *Ἰνδιον* generalem habere notionem, & de omnibus promiscue animantibus adhiberi. Vid. Gen. I. 28. & Act. XXVIII. 5. vbi vipera illa, quam pendentem de manu Pauli conspiciebant Barbari, diserte dicitur *Ἰνδιον, bestia*. b) Non adeo mirum est, hic serpentem comparari atque annumerari non tam reptilibus, quam bestiis agri, cum satis appareat, eum post maledictionem demum reptilibus fuisse associatum.

§. V. Vrgent (2.) *Loquelam*, quod humana & articulata voce verba ad Euam fecisse dicatur ille serpens, quae a serpente naturali profecta esse, nemo sibi persuaserit. Ita quidem est. Serpenti *nudo* loquelam

loquelam nemo facile tribuat, nisi cum Iudaeis quibusdam, animalibus ante lapsum sermocinandi facultatem adfingentibus, ineptire velit. Sed serpentem *obsessum* protulisse verba, quae ab homine intelligi possent, fortasse non absotum fuerit dixisse. Enimuero potuisse diabolum in ore serpentis formare sermonem, veluti non raro per obsessos, aut olim per oracula & statuas, locutus est, nemo vocauerit in dubium. Auctor est PLINIVS L. VIII. 41. canem locutum in prodigijs & serpentem latrasse, cum regno pelleretur Tarquinus. De simulacris & brutis daemones ope locutis, narrationum quendam catalogum nobis texuit doctiss. IOAN. GERH. VOSIVS de *Idol.* L. III. c. 44. Vti & longe antea AVGVSTINVS de *Ciuit. Dei* L. III. c. 31. Conf. LVD. VIVIS *Comment.* Legimus quoque apud LIVIVM L. XXXV. c. 21. Bouem aliquando has voces emisisse: ROMA TIBI CAVE. Quin ipsa etiam Scriptura teste, Num. XXII. 28. Asina Bileami locuta est. Ad quod exemplum ipse prouocat AVGVSTINVS Opp. T. III. L. II. c. 29. *Sic locatus est, ait, serpens homini, sicut asina, in qua sedebat Bileam, locuta est homini, nisi, quod illud fuerit opus diabolicum; hoc Angelicum.* Neque ideo miraculum, diuino illi simile, diabolo tribuitur, dum per serpentem dicitur locutus. Magna enim differentia est inter *miraculum* & *rem miram*. Illud Diabolo, tanquam creaturae finitae, merito negatur: hanc ab eo patrari posse, quis abnuat? Si que secundum axioma quartum Langianum, in *Causa Dei* P. I. Sect. III. Membr. III. p. 225. impossibile & contradictorium non sit, spiritus varia schemata in sensus incurrentia assumere, ac sub iis comparere, & vocem humanae similem formare: cur repugnet naturae Diaboli, vocem articulatam in ore serpentis naturalis, quod minus est, formare? Ex his adeoque liquet, quod saltem potuerit serpens a diabolo per assistentiam informatus, sermocinari. Reuera autem diabolum protulisse hoc modo verba, & ipse testatur textus Mosiacus, & in sequenti dissertatione pluribus declarabitur. Neque satis commode huc trahitur exemplum illud 1 Sam. 28. vbi Samuel ad Saulem verba fecisse legitur, cum tamen totius scenae auctor fuit Diabolus. Nam diuersissima vtique sunt exempla, neque vlla ratio ne sequitur: Samuelis nomine l. c. intelligendus est diabolus, non

verus

verus Samtiel. Ergo Gen. III. serpentis nomine itidem intelligi debet & commode potest solus Satanas. Nam ibi manifesta sunt indicia, vnde constare possit, sub Samuelis larua diabolum Sauli apparuisse: hic autem non larua vsus, sed vero serpens, clara testatur littera, a qua sine necessitate non est recedendum.

§. VI. Vrgetur (3.) *Serpentem hic in iudicium vocari, eiqus ceu creaturae rationali, delictum a Deo exprobrari, sententiaque publicata maledictionem ipsam infligi*: quae omnia de serpente naturali asserere vix liceat. Verum neque hoc argumentum magnopere nos mouet: Nam distinguendum 1.) *Inter poenam proprie & analogice dictam*. Illa vtique in serpente bruto & rationis experti locum non habet: quatenus ergo forum diuinum poenamque subiisse dicitur, hoc non nisi improprie & analogice accipiendum est. 2.) *Inter serpentem merum; & verum, sed a diabolo obsessum*. Non in illum; sed in hunc optime quadrant, quae Commat. 14. commemorantur. Cum enim animal brutum, in se spectatum, neque intelligere sententiam promulgatam, nec proprie poenam luere posset: facile apparet, sermonem iudicis non fuisse directum ad solum & merum serpentem; sed ad totum compositum, adeoque simul ad infessorem serpentis diabolum, ad quem vel maxime etiam sententia iudiciaria pertinebat. Et vero est admodum simile, eo tempore, quo sententia fuit pronunciata, diabolum nondum deseruisse organum suum, sed adhuc ipsi fuisse praesto. Solius autem serpentis fit mentio, quia solus incurrerat in oculos.

§. VII. Vrgent (4.) *maledictionis in genere spectatae grauitatem, qua serpens hic deprimitur infra omnes bestias & feras agri*: Cum tamen non plus damni expertus sit serpens, quam reliqua sentiunt reptilia, a Deo nunquam maledictioni subiecta. Certum etiam esse contendunt, multa dari animalia serpentibus nocentiora, hominique magis infensa, & hinc magis abiecta: saltem non liquere, quae in re maior consistat serpentis naturalis maledictio, vt omnium reliquorum animantium fit miserrimum. Diabolo autem reuera contigisse illam maledictionem, dum ad tartara detrusus adseruetur in

B

iudicium,

iudicium, eo ipso omnibus creaturis, ipsisque etiam brutis inferior.
 Solum ergo Diabolum serpentis nomine intelligendum esse. R. 1.)
 Serpentem non plus damni expertum esse, quam reliqua sentiunt
 reptilia, sine fundamento adferitur. Nam quod reptilibus est na-
 turale & commodum, id serpenti post maledictionem est molestum.
 Nec reliqua animantia, maledictionis penitus experta mansisse, Scri-
 ptura testatur diferte. Gen. III. 17. Rom. VIII. 20. Quod autem
 2.) pro certo asseritur, multa dari animalia serpentibus nocentiora
 hominique magis infensa, dicitur, sed non probatur. De terribili
 Leviathane, altero recto, altero sinuoso, serpentium speciebus, vid.
 Ies. XXVII. 1. & quae ad hunc locum commentatus est VITRIN-
 GA. *Quid magis, inquit, horreat natura hominis, quam vastum &
 volubile corpus draconis iubati, qui ardentibus oculis, vibrantibus lin-
 guis (fertur enim lingua huic bestiae esse trisulca) sibilante ore, homi-
 nem inuadit, inque cum lapsus spiris suis inuoluit, ab ipso consumendum.*
 Addit ex BOCHARTO historiam de serpente inuitatae magnitudi-
 nis, in Africa apud Bragadam stabulante, aduersus quem Attilius
 Regulus Consul, primo bello punico, praelium grande atque acre
 fecerit, magna totius exercitus confictione, ballistis atque cata-
 pultis diu oppugnatum, eiusque corium centum & viginti pedes
 longum, Romam missum esse. Sed esto 3.) Animantia alia aequae
 nocentia atque homini infensa esse, ac serpentes, inde inferri ne-
 quit, serpentem magis abiectum, aut reliquorum animantium mi-
 ferrimum dici non posse. Etenim caetera animantia, vtut maledi-
 ctionem simul senserint, non tamen tantum conditionis primaevae,
 naturaeque institutae detrimentum passa leguntur, quam serpens,
 qui iussus erat in ventrem serpere, & puluerem comedere, contra
 naturam pristinam. Quin & in eo maior serpentis naturalis maledi-
 ctio consistit, quod serpens antea pulcher admodum & solers, qui
 hoc nomine ab initio homini acceptus perquam videtur fuisse &
 amabilis, posthac prae tetrīs animantibus vilis esset futurus, inui-
 sus, execrabilis & horrendus, idque non homini duntaxat, quoties
 hanc primam eius seductionem cogitaret, qua praeceps detrusus fu-
 erat in omne miseriarum genus; sed fortasse & animantibus reli-
 quis, quae ob id vanitati ac seruituti corruptionis fuere subiecta.
 Rom,

Rom. VIII. 20. Quod ipsum innuere videntur *οἱ LXX.* Ἐπιματά-
 γατος οὐ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἰσθίων. Ma-
 ledictus tu *AB* omnibus pecoribus & *AB* omnibus bestiis, quae sunt in
 terra. Quae vero 4.) de diaboli maledictione omnium grauissima
 tradunt, ea nobis haud inuitis ac renuentibus conceduntur, modo
 sensui litterali sua constet integritas.

§. VIII. Nimirum serpens ille maledictus, tanquam subiectum
 compositum, est considerandus. Vnde sensui litterali, quo ser-
 penti naturali maledictio imponitur, subest allegoria, maledictionem
 obfessoris simul indigitans, sensumque litteralem omnino suppo-
 nens. Nec sine aperta vi textui sacro illata, sensus ille litteralis
 remoueri potest. Immo quod fugere praefert aduersa hypothesis,
 empactarum Scripturae Sacrae ludibrium, verendum est, ne illud
 ipsum incurrat, maximeque promoueat, & fanis quoque homini-
 bus offendicula ponat. Cum enim Moses plano stilo historiam
 lapsus describat, serpentem nominando eiusque naturalia attributa,
 talia etiam praedicata in eius maledictione adhibendo, quae ei ap-
 prime sunt conuenientia, eumque plus vice simplici cum aliis be-
 stiis agri comparando: Interim talia praedicata simul miscens, ex
 quibus, vt & aliis Scripturae locis, satis liqueat, non merum fu-
 isse serpentem, sed a Diabolo rectum: eaque sententia, vti e ver-
 bis sacris nascitur, & lectori obuiam est, reuera nihil incommodi
 habeat, ac tori propemodum antiquitati probata sit: Quid sanum
 & pium lectorem magis offendere potest, quam si haec omnia per
 figuram dictionis metaphoricam, spreto sensu litterali obuio, de-
 torqueantur, & laboriose ad merum diabolium, nuda serpentis larua
 indutum, vel in Angelum lucis transformatum, applicentur? So-
 lem in aprico negaret, qui translationem inficias iret, a phrasibus
 naturali serpenti congruentibus desumptam. Constat igitur sibi sen-
 sus litteralis & subfit allegoria, quam non negamus.

§. IX. Vnde & frustra pro stabilienda hypothesi sua 5.) vr-
 gent solique Cacodaemoni applicant primum atque alterum male-
 dictionis membrum, *ψ. 14.* quo serpens iubetur *gradiri in ventre suo*
 B 2

Et pulverem lingere omnibus diebus vitae suae. Enimvero sensum allegoricum huius phrasibus subesse, haud difficulter concedimus; praesertim cum & alibi Scriptura iisdem loquendi formulis, statum Diaboli miserrimum atque abiectionissimum depingat, habito respectu ad primaeuam in paradiso maledictionem. Sic Ies. LXV. 25. וְנָחַשׁ עָפָר לֶחֶמוֹ & ad serpentem quod attinet, pulvis erit panis seu cibus eius: Luth. und die Schlange soll Erden essen. Respici hic ad locum Gen. III. 14. non potest esse dubium: sicuti & hoc manifestum, quod verba isthæc allegorice sint accipienda. Vaticinium enim agit de statu Messiae glorioso in terris, ad quem nihil conferret serpentis naturalis comestio pulveris. Intelligitur proinde Diaboli prostratio atque in statum abiectionissimum depressio, in Ecclesiae Christi victoriam & solatium. Vid. VITRINA ad h. l. Quemadmodum vero hic locus nos manuducit ad sensum dicti Gen. III. 14. allegoricum; ita sensum litteralem, cui allegoria subest, non destruit, sed omnino supponit.

§. X. Vrgent 6.) egregiam versus 14. cum 15. siue rem ipsam, siue constructionem species, connexionem. Illam vero ita se habere, vt versus 15. allegoria nihil aliud sit, quam antecedentis continuatio & confirmatio. Cum enim ψ. 14. Spiritus S. allegoriam a bellandi & antiquo hostes conculcandi ritu desumat; eandem ψ. 15. continuari, & subnecti bellum, bellique euentum funestum ex parte Satanae. Id quod manifestum esse existimant ex 1 conuersuo, quod perperam illi, qui sensum diuellunt, peculiare versus 14. subiectum serpentem, & peculiare ψ. 15. Diabolum constituentes, exponant per praeterea: cum rectius pro particula causali habeatur, quia ex contritione illa & bello contingere debuerit, vt pulverem comederet serpens; adeoque sic vertendam esse: Namque seu eo quod inimicitias ponam. Atque inde tandem colligunt: De quo serpente loquitur ψ. 15. de eodem intelligendus est ψ. 14. Atqui de solo serpente Diabolo loquitur ψ. 15 vt concedunt omnes. Neque enim Christus caput serpentis proprie ita dicti contriuit. Ergo. &. 1.) Merito quaerere hic licet, vnde protoplastis constiterint illi crudelibus bellatorum ritus, ad quos hic putant alludi? Certe enim bel-

landi

landi consuetudo, quae procul dubio post diluuium introducta demum fuit, nimis erat a primaeua simplicitate remota. Cum ergo dubium non sit, quin haec sententia iisdem verbis in paradiso fuerit pronunciata, quibus a Mose fuit litteris consignata: nulla ratione adparet, quomodo primi parentes sermonem ad ritus sibi prorsus incognitos alludentem intelligere potuerint. Atqui vix credibile, creatorem optimum sermone tam obscuro suspendere voluisse protoplastorum animos, ad quos tamen erigendos hoc ipsum Proteuangelium, erat vnice comparatum. Caeterum 2.) concedimus egregiam cum realem tum verbalem connexionem versus 15. cum 14. Addimus illud quoque, quod sequens *ψ.* 15. non tantum continuatio & confirmatio sit allegoriae in *ψ.* 14. sub sensu litterali latentis; sed omnino & clarior expositio. Sensus igitur vnus commatis non est diuellendus a sensu alterius commatis. Siue autem particulam *l* veritas copulatiue per *&* siue continuatiue per *praeterea*: Sensus isti aequae minus diuelluntur ac si reddas causaliter per *namque*. Et qui sensus etiam diuellunt *ψ.* 14. litteraliter ad serpentem naturalem & *ψ.* 15. metaphoricè ad merum Diabolum referentes, non propterea duo faciunt subiecta, sed tantum duas naturas in vno subiecto, serpente nimirum *obfesso*, distinguunt, praedicata ad illam naturam referentes, cui conueniunt. Quod propter morem loquendi Scripturae non insuetum fieri sane posset, nisi simul sensus allegoricus litterali subesset: quod tamen ita se habere manifestum est. 3.) Ad Syllogismum denique subiunctum quod attinet, eiusdem negatur consequentia. Nam vtiusque commatis subiectum est serpens a Diabolo obfessus. Quae autem *ψ.* 15. de illo praedicantur, illi conueniunt quoad naturam diabolicam, nec tamen penitus cum exclusione alterius naturae. Manifestum saltem est, modum loquendi ab altera illa natura desumptum esse. Vnde non male iam olim IOAN. MERCERVS, Doctor Sorbonnicus, ad h. l. ita commentatur: *Toto hoc loco, inquit, in externa serpentis maledictione, simul interna Satanae intelligitur, etsi pars posterior de similitudine longe sit apertior de Satana. Sic in prophetiis de Christo, quaedam iuxta litteram externe in typum magis quadrare videntur, quaedam vero magis in τερροειρεων, i. e. figuratum:*

tum: ut in Dauide seu Salomone & aliis typis Christi, videre licebit, tum in Psalmis, tum alibi.

§. XI. Vrgent 7.) *Loca Scripturae parallela, vbi nomine serpentis non intelligatur serpens naturalis; sed solus Cacodaemon, puta 2 Cor. XI. 3. Apoc. XII. 9. quemadmodum pro serpentis nomine Christus Ioh. VIII. 44. ipsum Diaboli nomen adhibeat, & Apoc. XII. 9. Serpentis & Satanae nomina ἐϋνυμῶς coniungantur. R. Non negatur, Diabolum merum alibi in Scriptura nomine serpentis appellari, quod vel supra locus Ies. LXV. 25 euincit. Neque enim serpens naturalis ad seducendos protoplastos assumtus, essentialiter aut personaliter Diabolo vnitus fuit, nexu indissolubili, sed per formam assistentem Diabulus se serpenti vniuit, quem seductione perfecta auditaque maledictionis sententia, iterum dimisit. Nomen vero serpentis ipsi haeret in memoriam seductionis, quam olim, serpente instrumento vsus, patrauit. Non obscure id quoque in loco 2 Cor. XI. 3. indicatur. Valde enim apposite, vt ait THEODORETVS ad h. l. citante SVICERO in ἑρπίς, ibi Paulus non Diaboli, sed serpentis meminit, ostendens, Pseud-Apostolos, sicut olim serpentem in paradiso, factos esse instrumenta Diaboli: Meminitque Apostolus, ne diabolus Corinthios aequae per Pseud-Apostolos in transuersum ageret, atque olim Euam per serpentem seduxit. Atque hinc non necessaria est sequela: In locis quibusdam Scripturae, non obstante serpentis & draconis nomine, ipsum diabolus intelligimus: ergo hic ipse, & quidem solus, in textu Mosaico intelligendus est. Ratio enim, cur locis quibusdam diabolus serpentis nomine veniat, e textu Mosaico, ad quem ea loca respiciunt, vnice petenda est, vbi serpens naturalis seductionis organum fuisse disertis a Mose Historico commemoratur verbis.*

§. XII. Caeterum, cur pro nomine *Satanae* in textu Mosaico adhibitum sit nomen *Serpentis*, non satis idonea est ratio, quae a similitudine diaboli & serpentis, (vtpote animalis versuti non solum; sed venenati etiam, quod tactu morsuque praesentem inferat mortem homini,) desumitur: quod ipsum fateatur Celeb. RVS-SIVS

SIVS Dissert. supra laudata Sect. III. §. 14. p. 90. Neque etiam satis est dixisse, hanc ipsam adpellationem Satanae metaphoricam in populo Hebraeo, cui historia lapsus e traditione fuerit notissima, fuisse consuetam, & hinc Mosen hoc nomen adhibuisse cum praefixo emphatico הַ שָׂרָפִים *serpens ille*, nobis proh! dolor satis notus. Vnde enim quaequo constiterit, populum Hebraicum, ante Scripturam a Mose conditam, vocem *Serpentis*, in sermone de historia lapsus, accepisse in sensu metaphorico, pro solo videlicet diabolo? Sane ex הַ demonstratio id colligere non possumus: cum per id saltem indicetur, non tantum in genere hic respici ad naturalem serpentis astutiam, quae prae ceteris animantibus, ipsa teste Scriptura, magna est sane; sed potissimum ad illum quoque serpentem in specie, qui hic describitur, occupatus a Spiritu isthoc malo. Atque sic innuitur, hunc serpentem, omnium animalium natura sua callidissimum, certo casu astutiores fuisse caeteris agri bestis, immo & omnibus serpentibus reliquis, quandoquidem callida nunc & prouida mens quaedam, seu spiritus sub eo latebat, a quo erat obsessus, per hoc instrumentum propositum suum executioni mandans. Frustra quoque dicitur, Mosen, postquam nomen istud metaphoricum semel adhibuisset, eidem phraseologiam in vniuerso contextu, atque ita in primo statim commate, de versutia bestiarum agri, adcommodasse. Nam R. 1.) hoc esset ἀλλογενές, quod ab Historico, praesertim in re tanti momenti, est alienum. 2.) Sequeretur inde, Deum in Paradiso Prot-Euangelium, phrasibus a naturali serpente desumptis, conceptum, aliis, iisque propriis verbis pronunciaffe, quod autem Moses, vt metaphoram a serpente ductam continuaret, allegoriae inuolucro vestiuerit. Quod sane dici vix potest, cum potius persuasi esse possimus, Prot-Euangelium illud iisdem phrasibus in Paradiso fuisse pronunciatum, quibus a Mose fuit litteris consignatum, vt supra monuimus §. X. Quod si ita est, vt nemo dubitat, merito quaeritur: Cur Deus in sententia, aduersus Satanam promulgata, phrasibus a serpente naturali desumptis fuerit vsus? Sane ratio non poterat esse similitudo diaboli & serpentis allata. Talis enim virulenta natura, morsuque venenato hominibus nocendi vis & procliuitas,


clivitas, ante lapsum nondum habebat locum, vt inde ratio nominis vel phrasium peti possit. Veram contra & genuinam nobis rationem pandit in ipso contextu Moses, ea in antecedentibus commemorando, vnde sole meridiano clarius elucescit, diabolum in seductionis negotio serpente naturali pro organo fuisse visum.


§. XIII. Ex his itaque satis apparet, non tantum inesse nerui ac roboris hypothese adhuc expensae, quantum prima specie prae se ferebat. Vt autem opposita iuxta se posita magis elucescant, hoc nobis superest, vt grauissima, quae pro sententia communi militat, argumenta, proferamus in medium. Quo negotio, si Deus vitam concesserit, in sequenti dissertatione pro virili defungemur.



4
Fol 1297







16

BIGA DISSERTATIONVM
DE
SERPENTE PRO-
TOPLASTORVM
SEDVCTORE

QVAM
SVPREMI NVMINIS AVSPICIO
PRAESIDE
M. IOANNE HENR. ZOPFIO
GYMNASII ASSINDIENSIS
DIRECTORE

PVBLICE DEFENDET

RESPONDENS
HENRICVS FLORENTIVS SYBELIVS
SVSATENSIS.

IN ACROATERIO MAIORI
AD DIEM SEPTEMB. c1010ccxxxiii.
HORIS ANTEMERIDIANIS.



DVISBVRGI ad RHENVM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.
Anno c1010ccxxxiii.